

Mons. Octavio N. Derisi.

I - De Spiritualitate sacerdotum. - Quaestio maximi momenti pro spiritualitate sacerdotum est quaestio de methodo eam tractandi. Non enim expedit ut spiritualitas appareat quasi unum ex punctis tractandis, sed ut quaestio maximi momenti ad illuminanda alia puncta concreta vitae sacerdotalis. Unde in initio quaestionum practicarum tractanda est.

Spiritualitas sacerdotalis proponitur in lineae caritatis pastoralis, non ut mera actio externa, sed ut ministerium exercitatum "in Spiritu Christi" (P.O. n. 13). Ad acquirendum et manifestandum talem spiritum, necessaria sunt media sanctificationis (Ibid. nn. 14 et 18), necnon et conditiones vitae crucis. Sic apparebit "apostolica vivendi forma" et sacerdos erit signum clarum Boni Pastoris.

Sacerdotes invenire debent in proprio Presbyterio vel familia sacerdotali media sanctificationis vel spiritualitatis, praesertim quod attinet ad vitam communitariam in fraternitate et cum proprio Episcopo (Ibid.n.8). Episcopus est responsabilis vitae spiritualis presbyterorum (C.D.nn.15-16). Proinde debet constituere maxima sua preoccupatio, ab ea enim dependet magna ex parte apostolatus et vita Ecclesiae.

Vita spiritualis eruitur ex oratione personali et communitaria speciatim ex fontibus liturgicis orta. Oratio et actio pastoralis postulantur ad invicem, ita ut una ducat ad alteram. Pro oratione sacerdotali, quae est verum ministerium, conditiones requiruntur vitae asceticae necnon et responsabilitas sacerdotalis erga problemata hominum in historia salutis. Formatio est necessaria ad vitam spiritualem, sive per praxim sive per studium theologiae spiritualis.

Necessarium est pro sacerdotibus organizare recessus spirituales sive etiam exercitia spritualia, tempore oportuno, sicut tempus invenitur pro conventibus de actione pastoralis.

Assotiationes sacerdotales "magni quoque habendae sunt" (Ibid.n.8) praesertim generositatem vitam evangelicam et fraternalem fovent in Presbyterio. Hae assotiationes maximae utilitatis sunt ad perseverantiam sacerdotalem et ad vitam iuxta "apostolicam vivendi formam" fovendam.

Fomentum spiritualitatis sacerdotalis, etiam iuxta iniciativas sacerdotum, remedium maximum est ad problemata actualia solvenda, dummodo haec spiritualitas foveat exercitium ministerii in Spiritu Christi (Ibid.n.13). "Ascensionem pastoris animarum" (Ibid.n.13) "unitatem vitae" (Ibid.n.14), ita ut sacerdos sit signum clarum et totale Boni Pastoris (humilitas, oboedientia, castitas, paupertas)(Ibid. nn.15-17).

Spiritualitas sacerdotalis impossibilis est sine viventia aspectus marialis mysterii Christi Sacerdotis et mysterii Ecclesiae. Quae viventia est fons vitae spiritualis et apostolicae.

II.- De preparatione ad sacerdotium necessaria:

Sine dubio problema vocationum et earum preparationis in Seminariis, est

maximum hodie in Ecclesia.

1.- Problema vocationum:

Episcopi sacerdotes movere debent ut illi videant gravitatem problematis et totis viribus sese tradant ad illum solvendum.

Primum medium et fundamentale ad vocationes suscitandas est ipsa vita exemplaris sacerdotis simul cum sua maxima caritate et deditioe suipsius cum gaudio in Christo. In mensura qua sacerdos vivat suum sacerdotium influet in vocationibus suscitandis.

Secundum medium est praedicatio clara et viva circa vocationem sacerdotalem ut ministerium ipsius Christi et reproductionem vitae eius pro hominibus, quod maxime movet iuvenes.

Haec praedicatio fieri debet praesertim in colegiis et universitatibus catholicis et speciatim in confessionibus et directionibus spiritualibus cum sacerdos invenit iuvenes capaces, generosus et puritatis vitae.

2.- Preparatio in Seminariis:

Distingui debet in formatione sacerdotali Seminarii id quod est substantiale et id quod est accidentale; ita ut si haec secundum mutari potest, illud primum debet permanere, ut sunt: pietas, responsabilitas, mortificatio, studium serium disciplinarum ecclesiasticarum, et singillatim, amor Dei et proximi magna cum generositate. Quoad modum haec obtinendi, sine dubio novae viae tentari possunt et debent ad ea aptanda ad nova adiunta vitae, sed maxima cum cautela et prudentia in iis procedere debet, ne occasione innovationis, valores permanentes sacerdotis amittantur, vel in periculo ponantur. In omni casu, Lineamenta a S. Congregatione pro Educatione Catholica elaborata securam lineam indicant.

Speciali cura eligi debet rector et moderator spiritualis seminarii, ut vero spiritu sacerdotali maxima cum vi et sollertia alumnos suos informet.

In Seminario vita spiritalis et intellectualis statui debet summa cum alacritate et laetitia, ut vitam Christi cum gaudio sumatur, remotis illis omnibus, quae passiones fervent, praecipue mediis communicationis et spiritum debiliorem reddunt ad vitam inmolatilis et laboris cum Christo, propriam sacerdotis.

III.- Evangelizatio et Sacramenta:

Ante dubia et anxietates, quae apud aliquos sacerdotes circa suum ministerium ortae sunt, circulus noster iudicat iterum affirmandam esse intrinsicam unitatem huius ministerii, cui sacerdos servire debet; et quod amplectitur actionem pastoralem, praedicationem verbi et celebrationem sacramentorum, quae unum efformant sacerdotale ministerium.

1.- Quoad praedicationem verbi et celebrationem sacramentorum, haec recordari iuvant: a) Evangelium semper integre in Ecclesia nuntiari debet, et praedicationis responsabilitas totius verbi Dei ad presbyterum specialiter competit. b) Verbi praedicatione non est mera expositio doctrinae revelatae, sed Dei ~~actio~~ actio quae Ecclesiam interiorius et exteriorius congregat. c) Hoc Dei Verbum applicare oportet ad quaestiones hodiernas ut in eius luce supernaturali illuminentur, d) et exprimere modo accommodato mentalitati huius temporis. e) Evangelizatio fastigium suum attingit in celebratione sacramentorum, quae Redemptionis opus annuntiant, praesertim Eucharistiae quae est fons et culmen totius vitae christianae. f) Hac de causa, liturgia verbi in sacramentorum celebratione intime cum sacramento coniungitur, ita ut unum eundemque actum cultus constituent.

2.- Hinc, etsi praedicatione verbi prioritatem gaudeat, quia "fides ex auditu" et fides "est principium iustificationis" (Conc. Trid.), cum celebratione sacramentorum coniungi debet ut eorundem praeparatio. Revera autem huiusmodi praeparatio ad sacramenta recipienda optimam ansam praebet ad Verbum Dei praedicandum, non tollentes fidem christifidelium - eo quod ea mixta sit erroribus et parum illustrata fortasse appareat - eam vero assumentes ut principium praedicationis ita ut purificetur, illustretur, roboretur et hoc pacto evadat conscientia, personalis et capax generandi vitam christianam, missionariam et communitariam.

3.- Occasionem celebrationis sacramentorum, sacerdos debet sensum et efficacitatem supernaturalem eorundem ad vitam christianam plene vivendam in omnibus eius applicationibus, ut ea recipientes sciant omnes suas obligationes esse assumendas, roborati gratia Dei per sacramenta communicata.

4.- Cum opus renovationis pastoralis proponatur, ordinatio - planificatio - novarum formarum appostolatus, ut parvae communitates, stabiliri debet secundum ordinationem pastoraalem hodiernas ad actuales necessitates, semper tamen in communionem cum Episcopo.

IV.- Ministerium pastorale et seculares operositates:

Presbyteri, " etsi diversis officiis mancipentur, unum tamen gerunt sacerdotale pro hominibus ministerium. Ad idem enim opus ut cooperentur mittuntur omnes presbyteri, sive ministerium proeciale vel supraproeciale excerceant, sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferant, sive etiam manibus laborent, ipsorum operariorum, ubi id probante quidem competenti autoritate expedire videatur, sortem participantes, sive tandem alia opera apostolica vel ad apostolatam ordinata adimpleant" (O.P. n^o 8). Ministerium igitur presbyterorum omne opus " sive sacrum sive profanum" complectitur quod, approbante Episcopo, ad finem salvificum ordinetur.

Hac de causa:

- 1.- Ministerium pastorale ad servitium communitatis, si cum caeteris professionibus comparetur, est activitas humana in seipsa plene valida et iustificata coram christifidelibus alisque hominibus.
- 2.- Quare conferri debet ipsi sacerdoti conscientiam plenitudinis seu realizationis suae vitae, ex suo ministerio ortae, ita ut nulla alia navitate egeat.
- 3.- Circulus noster ita hunc valorem ministerii existimat, ut pro norma ordinaria concedendum est plenum tempus (full time) dedicationis illi ministerio.
Eadem ex causa iam in Seminario in futuro sacerdote creari debet conscientia quod sua activitate ministeriali vocationem ~~suam~~ sacerdotalem plene adimpleat et plenum sensum suae vitae conferat.
- 4.- Ut sacerdos navitatibus profanis seu saecularibus possit suum tempus dare necessarium est: a) ut suum ministerium ad quod destinatus est ab episcopo plene adimpleat; b) ut actiones has ordinis profani iuxta allata supra Vat. II, O.P. 8, ratione et fine sui ministerii assumat; c) ut consentanea sit suo statui sacerdotali; ~~et~~ d) ut in planificatione pastoralis inseratur, et e) ut cum consensu episcopi et presbyterii fiant.

Actio politica sacerdotis:

- 1.- Sacerdos et episcopus, qua caes et ministri Ecclesiae, tenentur positionem definitam assumere, modo semper authentice conformi cum Evangelio, cum agitur de quibuscumque iuribus humanis defendendis; de personis integre promovendis; de causa pacis et iustitiae et, in genere, de moralitate et valoribus ~~max~~ humanis et evangelicis sustinendis, tum in ambitu individuali, tum in ambitu sociali.
- 2 - Assumptio muneris directiva seu "militantia activa" pro aliqua factione politica vel sindacali omnino excludi debet a quo libet sacerdote.

V.- Corresposabilitas in ~~erxe~~ actione pastorali :

1.- Relationes inter episcopos et sacerdotes:

"Presbyteri omnes, iuxta Vat. II, una cum episcopis, unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita participant, ut ipsa unitas consecrationis missionisque reuirat hierachicam eorum communionem cum Ordine Episcoporum (...). Episcopi illos habent ut necessarios adiutores et consiliarios in ministerio et in munere docendi, sanctificandi et pascendi plebem Dei (...). Propter hanc ergo in eodem sacerdotio atque ministerio communionem, episcopi ut fratres et amicos suos habeant presbyteros, eorumque bonum, tam materiale quam praesertim spirituale ipsis pro viribus cordi sit (...). Eos libenter audiant, immo consulant et cum eis colloquantur de iis quae ad necessitates operis pastoralis et ad bonum dioecesis spectant" (P.O. n° 7).

a) Episcopi igitur amicos et fratres se praebeant presbyteris, cum ipsis frequenter et fraterna relatione operentur, sive in Missae celebratione sive in coetibus pastoralibus, in mensae participatione, etc.

b) Episcopus debet se se praebere ut exemplar coram suis sacerdotibus et pre oculis habere suam auctoritatem in servitium Ecclesiae destinatum esse, praecipue presbyterorum.

c) Eos quoque consulere debet et associare in operibus pastoralibus dioecesis.

d) Tamen, rite auditis et perpensis rationibus presbyterorum, Episcopus, qui suam auctoritatem a Christo acceptam habet, decisionem assumere debet secundum exigentias veritatis et boni communis Ecclesiae sub luce Spiritus Sancti.

e) "Presbyteri in episcopis reveantur auctoritatem Christi supæmi Pastoris. Suo Episcopo sincera caritate et oboedientia adhereant. Quae sacerdotali oboedientia, cooperationis spiritu perfusa, fundatur in ipsa participatione ministerii episcopalis" (P.O. n° 7)

Animo ~~apertus~~ aperto, sincero et fraterno amore cum episcopo suas operositates et difficultates presbyteri pertractent, ac simul cum animo collaborandi et oboediendi.

2.- Relationes inter presbyteros:

a) "Presbyteri omnes inter se intima fraternitate sacramentali nectuntur, ~~praesertim~~ specialiter autem in dioecesi cuius servitio sub episcopo proprio addicuntur unum presbyterium efformant" (P.O. n° 7)

Presbyteri inter se vero fraterno amore sese coniungant et adiuvent, et bonum tum spirituale tum materiale inter se promoveant. Praesertim

presbyteris in tentatione vel difficultate possitis, suo amore et generositate iuvamen reddere festinent.

3.- Relatio Episcopi et presbyterorum cum religiosis et laicis:

- a) Ea quae dicta sunt de relatione inter episcopos et presbyteros, analogice applicari possunt ad relationem inter hos et religiosos et laicos.
- b) Si religiosi sacerdotes sunt, salva speciali vocatione suorum Institutorum, easdem relationes ac presbyteri cum episcopo et cum aliis presbyteris habere debent.
- c) Quoad religiosos non sacerdotes: sive viri sive mulieres sint, vocari debent ad collaborationem apostolatus dioecesis et paroeciae, non tantum ut executores sed etiam ut consiliarii et participes in planificatione eiusdem.
- d) Idem dicatur, proportionaliter, de laicis. Habeant episcopi et presbyteri fiduciam in eis, eos ut adiutores vocent, non tantum in rebus temporalibus, in quibus meliorem formationem quam ipsi sacerdotes habere possunt, sed etiam in ipso ministerio pastoralis, in pluribus quae non requirunt sacerdotium ministeriale.
- e) Sacerdotes curent formare laicos catechistas, duces (líderes) operum apostolatus, quae eis totaliter vel partialiter conferri possunt.

VI.- Sacerdotium et coelibatum:

- 1.- Sicut Christus totaliter sese consecravit et immolavit in cruce in oboedientia Patri suo pro salute hominum, ita sacerdos, eius minister debet seipsum consecrare et immolare Deo et pro populo. Huius consecrationis et immolationis totalis "propter regnum caelorum", qua praesentiam vivam Christi reddit in Ecclesia et in mundo, signum et expressio est caelibatus sacerdotalis.
- 2.- Circulus noster iudicat consueta argumenta et alia nova quae inveniri possint pro coelibatu, proponi debent novo modo conformi actualibus adiunctis, ut ipse appareat in tota sua vigentia et necessitate pro mundo hodierno.
- 3.- Propter argumenta allata in congregationibus generalibus huius Synodi, patres omnes huius circuli censent conservandam esse actualem legem coelibatus, reiecto coelibatu optativo.
- 4.- Quoad possibilitatem concedendi Conferentiis Episcopalibus facultatem ordinando viros coniugatos, debitis cum cautelis, propter penuriam sacerdotum, omnes patres nostri circuli eam reiecerunt.
- 5.- Circa possibilitatem autem quod Conferentiae Episcopales, propter penuriam sacerdotum, postulent Romano Pontifici, in casibus particularibus, ut viri uxorati, debitis cum cautelis, possint sacerdotes ordinari: a) undecim patres (11) circuli eam reiecerunt, iudicantes tales exceptiones portas aperire ad suppressionem coelibatus; b) quinque patres (5) eam admitterunt, quia hoc modo subveniretur necessitatibus regionum quae sacerdotibus carent.

- 17 -

VII.- De retributione oeconomica sacerdotum :

- 1.- In genere recognoscitur quod modus ornandi res oeconomias in Ecclesiae constituit hodie problema, quod studio speciali indiget.
- 2.- Fere omnes sacerdotes non sunt satisfacti cum actuali situatione, et novam organizationem desiderant in hac re, in qua:
 - a) supprimantur beneficia et iura stolae.
 - b) novo modo praevideatur necessitatibus sacerdotum; vel per donationes factas a fidelibus in unaquaque natione vel dioecesi vel paroecia, vel per massam (fondo) quandam bonorum, quae praevideatur necessitatibus omnium sacerdotum.
 - c) Bona Ecclesiae magis iuste distribuantur inter sacerdotes ita ut dispereat discrimen inter presbyteros divites et pauperes.
 - d) Sacerdotes pauperes sint, sicut fideles ubi operatur, habentes vero necessaria ad vitam decenter agendam.
- 3.- Desideratur etiam praevitio socialis ut sacerdotes necessaria habeant in senectute, morbo et necessitatibus. Talis praevitio statui potest vel intra Ecclesiam vel extra Ecclesiae instituta in Gubernii et aliorum institutorum.
- 4.- Superiores religiosi, praesentes in hoc circulo, generose proposuerunt: a) quod religiosi assumant paroecias pauperiores, b) quod efforment conscientiam populi de obligatione adiuvandi Ecclesiam pro sacerdotibus pauperibus et pro actione pastoralis, c) et tandem quod informationem praestent nationibus divitibus de paupertate sacerdotum aliarum regionum, ut presbyteros et christifideles moveant ad iuvamen illorum.